

GERMANIA

facilius inter ancipitia clarescunt magnumque comitatum
non nisi vi belloque tueare; exigunt enim principis sui 3
liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victri-
cemque frameam; nam epulae et quamquam incompti,
5 largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. materia muni-
ficientiae per bella et raptus. nec arare terram aut expect- 4
are annum tam facile persuaseris quam vocare hostem et
vulnera mereri; pigrum quin immo et iners videtur sudore
adquirere quod possis sanguine parare.

10 Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus, plus 15
per otium transigunt, dediti somno ciboque: fortissimus
quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata domus et
penatium et agrorum cura feminis senibusque et infirmis-
simo cuique ex familia, ipsi hebent, mira diversitate naturae,
15 cum idem homines sic ament inertiam et oderint quietem. ↕
mos est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus vel 2
armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum etiam
necessitatibus subvenit. gaudent praecipue finitimarum 3
gentium donis, quae non modo a singulis, sed et publice
20 mittuntur, electi equi, magn<ific>a arma, phalerae torques-
que; iam et pecuniam accipere docuimus.

Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum 16
est, ne pati quidem inter se iunctas sedes. colunt discreti
ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. vicos 2
25 locant non in nostrum morem conexis et cohaerentibus
aedificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive
adversus casus ignis remedium sive inscitia aedificandi. ne 3
caementorum quidem apud illos aut tegularum usus: materia
ad omnia utuntur informi et citra speciem aut delectationem.
30 quaedam loca diligentius inlinunt terra ita pura ac splen-
dente ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. solent 4